



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**


### **Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini**

**Zyllesius, Nicolaus**

**Treveris, 1638**

Præfatio Avthoris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14268**

5  
  
P R Æ F A T I O A V T H O R I S.

*De occasione, causa & methodo scribendi.*

**P**RODIT in lucem Treuiris Anno M. DC. XXXIII. libellus, qui & per præcipuas Europæ Prouincias, & Principum Aulas dispersus fuit in fronte hoc titulo insignitus *Archiepiscopatus & Electoratus Treuirensis per refractarios Monachos Maximilianos aliosque turbati*, qui vnus Titulus statim Lectori indicat, eum ab animo perturbato, qui veritatem intueri non potest, erupisse.

Illo, non modo S. Cæs. Maiestas, Rex Hispaniarum Catholicus, alij Magni Principes eorumque Ministri grauiter perstringuntur, sed potissimum Imperialis Abbatix S. Maximini Iura & protectio, Abbatis moderni Electi Religiosorumq; personæ oppugnantur, accusantur, iniurijs plurimis falsisque criminationibus lacesuntur.

Author præclari istius operis latere voluit, vt solent libellorum famosorum scriptores. Et quamuis mihi magnopere curæ non est eum inuestigare, communis tamen opinio est quempiam de Ministris & D. Archiepiscopi Principis Electoris moderni Concilio scriptum illud concinnasse, proinde cum & Archiepiscopi voluntate & pro eius præensione editus sit, ijs, quæ nobis ipsemet scriptor concedit subinde, aut pro Iure nostro dicit, licebit contra Archiepiscopi præensiones vti.

Porro quantum ad criminationes illas attinet, optima actionum suarum conscientia & notoria summæ integritatis, virtutis & Religionis laude D. Agritius Abbas Electus tutus & contentus est, atque scriptoris istius acerbè insectantis dicta contemnit; sed & Religiosi cæteri Maximiniani tantopere ob rigidam disciplinæ Religiosæ obseruantiam in vicinis omnibus Prouincijs celebres contumelias, iniurias & opprobria ista in lucro reponunt & crucis mortificationisque desiderio dissimulant, verum cum præterea & quidè præcipuè Imperialis Monasterij S. Maximini Status hoc scripto oppugnetur, & eadem occasione diuæ recordationis Ferdinandus II. Cæsar eiusq; Concilium Aulicum, itemq; Hispaniarum Rex Catholicus Philippus IV. & illius Ministri, varijs modis tacitè accusentur, aliquid pro veritatis,



Iustitiæ ac tantorum Nominum defensione in publicum proferre necessarium est visum.

Ita tamen ut verbis verba asperi Scriptoris non studeam compensare, quandoquidem veritatis defensio non autem vindicta mihi est demandata, sed rebus ipsis potius & luculentissimis Diplomatis, Sententijs, rebus iudicatis, publicis tabulis, quorum omnium Autographa siue Originalia habemus & ubicunque opus fuerit exhibere parati sumus, & rationibus solidis ea quæ in speciem obijciuntur clarissimè profligem. Quod mihi equidem promptum est facere, eò quod causam illam tot Annis in Cæsaris & Catholici Regis Aula ipsemet ac per alios sollicitavi & egi.

Et quidem cum libelli Scriptor opus suum in duas generatim partes diuidat, & in posteriore Electionem moderni Abbatis oppugnet, simul quæ circa Commendam à D. Archiepiscopo gesta sunt, prolixè defendere conetur. De Electione illa & Commenda, cuius causa vniuersa necdum à S. Sede & S. Cæs: Maiestate est terminata, parum aut nihil dicam, sed tabulas & firmamenta ad illam quæstionem spectantia, priuatis S. D. Noliti, & Augusti Cæsaris subsellijs referuabo.

At verò in priore parte refutanda potissimam operam ponam, in qua tria Capita Authori proposita animaduerto, ad quæ omnia dicta refert.

Primum quod Abbas S. Maximini non sit Status immediatus aut membrum S. Romani Imperij, sed quòd tam ipse, quàm eius subditi ac vniuersa Ditio Archiepiscopatu & Electoris Treuirensis Iurisdictioni sæculari sit subiectus. Secundum quod similiter Abbas eiusque Conuentus & Religiosi non sint exempti ab Ecclesiastica Archiepiscopi Iurisdictione. Tertium quod Ducum Luxemburgensium in dictam Abbatiam Aduocata seu Protectio nulla sit, uti liquet ex libelli ingressu vsque ad num. 4.

Priusquàm verò allegatis à Scriptor, Argumentorum umbris respondeam, quid de prædictis tribus capitibus sentiendum sit, breuiter præmittam, atque ita opus vniuersum in tres partes generatim diuidam.

In prima Ius Monasterij S. Maximini eiusque Protectio explicabitur & probabitur. In Secunda refutabuntur ea quæ à Scriptor libelli contra prædictum Ius obiecta sunt. In Tertia repræsentabuntur Tabulæ & documenta ad quæstiones tres prædictas spectantia.